

1542
*Polini ora-
 tio apud
 Venetos ha-
 bita.*

Polinus, qui summa celeritate in Gallias redierat, atque ad Bellaqueum fontem Regem conveniens, de inferendis armis secum egerat, eadem festinatione Byzantium reverti iussus, Venetias cum accessisset, & una cum Mompolerio Episcopo, Regis ordinario legato, Collegii Patres coram Decemvirum præsidiis adiisset, Francisci Regis causam graviter, ac luculenter egit. Quæ nuper a Cæsare, atque a Rege acta sint, uti sinceris rerum iudices decet, intuentes, dignoscere haud difficulter posse, utri illorum christianæ reipublicæ incolumitas, ac dignitas cordi sit, uterve minime contactis, atque adumbratis consiliis ad veram, ac solidam gloriam niteretur: Regem armatum, victoriæ haud ambiguum fructum, dum per Subalpinos, nullo obsistente, decurreret, Pontificis suasionibus adductum, sibi interceptisse; Cæsarem, justæ pacis legibus rejectis, ditiones Gallicas bello petiisse, per mediam Galliam in Belgium proficiscentem summis honoribus exceptum, spe de tradendis Insucribus injecta, decepiisse: Regem Gandavenenses a Cæsare desciscentes, atque suam opem implorantes rejecisse, nihil, quod ad suam in eum benevolentiam declarandam attineret, unquam prætermisissimum; Cæsarem contra pollicitis non stare, implacabili odio sævientem, jure gentium, quod apud barbaros quoque sanctum haberetur, violato, suos legatos per insidias, ac dolos adversus pactas inducias interfici jussisse: qua ille in cunctos mente sit, testari Cisalpinæ Galliæ urbes militari licentia crudeliter direptas, atque immanibus tributis exhaustas; Hetruriæ occupatas arces; Senenses civili dissensione laborantes in servitutem adductos; Lucenses pecunia quotannis Rempublicam redimentes; Sicilia, atque Neapolis opulentissima regna fortunis omnibus exuta: ipsam adeo Venetam Rempublicam illius fidei documento esse, quæ ejus artibus pernicioso implicata bello prope discrimen rerum suarum subiverit. Secum igitur reputarent, utrum amicum, ac foederatum Reipublicæ adsciscerent: an eum, qui fuco, ac fallaciis dissimulanter cunctis prægrave jugum imponere niteretur; an qui potius vera virtute, atque animi magnitudine cum eximiis Regibus præclara æmulatione certaret: illumne, qui in Italia, Neapolitano regno, & Insucribus occupatis, nullo sibi obsistente, leges dicturus esset; an qui nullum labo-